



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Scintillæ Ignatianæ, Sive Sancti Ignatii De Loyola, Societatis Jesu Fundatoris Apophthegmata Sacra

Hevenesi, Gábor

Coloniæ, 1715

VD18 10988289

30. Martij. Vt rudis atque informis stipes non suspicatur fingi se posse statuam, quæ pro artis miraculo celebretur, sed statuarius videt, quid ex illo fieri valeat: sic multi qui vix aliquid de ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50423](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50423)

In Dei causa nihil timendum, sed ut acus polaris, seu arrideant Zephyri, seu tumultuentur Boreæ, semper in polum intenta hæret, ita immotus age, quæ Dei sunt, neque ad dexteram declivis, neque ad sinistram.

30. Martii.

Ut rudis atque informis stipes non suspicatur fingi se posse in statuam, qua pro artis miraculo celebretur, sed statuarius videt, quid ex illo fieri valeat; sic multi qui vix aliquid de Christiano sapere videntur, non intelligunt, se posse Dei manu in sanctos efformari, nisi manui hujus artis ficis se opponant. S. Ignat. vitæ l. 4.

DEUS solus ita peritus artifex est, ut quilibet possit ex quolibet, quia is unus quod deest, dare, quod superest, demere potest. Tu te ab eo fingi sine.

Nemo contemnendus. Estò stipes appareat, fortè fingetur in statuam, evadet artis prodigium, populorum admiratio, fortè aræ imponendus, coram qua tu genua aliquando curvabis.

Malè judicat, qui secundùm faciem judicat. Ut ex optimis pessimi, sic ex pessimis

mis

mis optimi fieri possunt. Tu tibi, non alii attende.

Ut argilla figuli manum prompta sub quamvis formam recipere facilis, quam artificis manus impresserit; ita tu Deo tractabilem offer. Sine illum agere,

31. Martii.

Qui obliviscitur sui, & suorum commo- rum propter obsequium Dei, habet gilem pro se Deum, S. Ignat. apud Bar- 1.4. §. 35.

FAC pro Deo, quæcunque potes, & pro te faciet, quæ tu non potes; enim illi difficile est tibi succurrere, potestas illi deest, nec voluntas. Prior ille est ad dandas, quam tu accipendas gratias. Nemo meliorem sui curam habet, quam qui sic negligit.

Malè tibi consulis, dum tempus divini obsequiis addictum ad alia derivas: quæ potes rei sperare successum? Si Deo displices, unde tibi erit benedictio?

Quærite primùm Regnum Dei, & cætera adjicientur vobis. Non perit tempus quod pietati tribuitur, plus proficies orando, quam studendo.